

computandi molestiam à notis majoribus, puta 7, 8, 9, pullulascere, de istis eliminandis rationem iniit. Et primò quidem, quoniam in multiplicando pariter ac dividendò intractabilis numerorum istorum indoles imprimis se efferre consuevit, ut eidem mederetur, vicarium tùm divisorem, tùm multiplicatorem, adornavit, quò subsidiò majores istos, tractatuque ineptiores, à divisore ac factore depellebat, eorum locò minoribus, v. c. 1, 2. 3. non sine insigni compendiò, quod praxis aperit, subrogatis. Quandoquidem verò ne hâc quidem ratione tædium omnne, quod in ejusmodi operationibus subnasci solet, averruncari sentiebat, prolixam calculorum seriem, simpliciumque extensionem numerorum, amputare ingressus est: idque tantò promptius, quanto efficacius subnascens occasio quædam istud exigebat. Scilicet cùm à multis abhinc annis Auctor laudatissimus vulgarium decem prædicamentorum distractam & inconcinnam rationem ad succinctiorem & naturæ magis congruam harmoniam reducere conaretur; sed antiquitatis reverentiâ retentus veluti immutabilem ipsius naturæ ordinem turbare non auderet: monitus ab ipsòmet Aristotele, qui sæpe quatuor tantùm summa genera, tanquam principalia, recenset, dubitare tandem coepit, utrum natura X. præcisè, nec plura nec pauciora, statuisset;

& il-